



Qui bellicas Imperatorum uirtutes, et uictorias celebrant; multorum principum offensionem incurrunt; non enim uictor laudari potest; quin uictus, citra aduersa fortuna' excusationem uituperetur. Grauisimum hoc periculum est in Maximiliano huius nominis primo laudando; qui parua manu, et uirtute multa ingentes saepe de multis Regibus, et principibus uictorias reportauit; dum hostes ulciscitur; amicos tuetur; iniurias propulsat; rebelles domat; imperium dilatat; fidem uendicat; iura omnia humana, et diuina restituit. Verum ne sileat laudator tanti metu periculi, cum plus posteros iuuat exemplo, q̃ uictis noceat argumento; nec formidet amicus laudare; quem hostis coactus est commendare. Galliam totam tremere, dicebat Ludouicus Gallorum Rex, excaeso Maximiliani tympano. Vetat recens memoria singulatim tanti uiri gesta commendare. Testis Gallia, Testis Germania omnis, Testis Vagaria, Testes Angli, Boemi, Vngari, Itali, Scythae, et Barbari omnes; omnia scriptorum monumenta Maximilianum Austriae domus generosam propaginem in coelum ferunt; quem insigni uno aliquo, ut proauos, cognomine honestare inopia linguae nostrae, et uirtutum eius copia non permittit. Ille sapiens ut Albertus, Ille probus ut Leopoldus, Ille fortis ut Ernestus, Ille pius ut Fridericus pater, Ille tandem ipse et Maximilianus, et Maximus hactenus, et ter maximus.

Obijt anno chr. M D X I X. Imp. xxv aetatis suae. Lx. filijs orbatu ex Maria Burgundiae Ducis filia susceptis, ex Philippo filio nepotibus superstitibus.